

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7432

Autre(s) référence(s) : Round 192

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Foucarmont, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1185-1189]

Lieu d'émission : Argentan

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale des biens appartenant à l'abbaye de Foucarmont.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCLIII, t. 2, p. 397-399.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 192.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 397. Souscription de Baudouin, archevêque de Cantorbéry, intronisé en 1185.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, et omnibus baillivis et fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et presenti carta mea confirmasse ecclesie Beate Marie Sanctique Johannis de Fulcardimonte et monachis ordinis Cisterciensis ibidem Deo servientibus omnes subscriptas rationabiles donationes sibi factas et cartis donatorum confirmatas: Ex concessione et confirmatione Hugonis Rothomagensis archiepiscopi, et Rotrodi successoris sui, ecclesiam de Fesquis cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Rogeri de Scakerlanda et Albrede uxoris ejus, assensu Willelmi filii sui, et confirmatione Rotrodi Rothomagensis archiepiscopi, terciam partem decime de Fesquis, in omnibus territoriis ad eandem parochiam pertinentibus. Ex dono Henrici comitis Augi, totam decimam ministerii sui Fulcardimontis in foresta, et decem acras terre juxta terram quam dedit eisdem monachis in Beleia. Item ex dono ejusdem Henrici, comitis Augi, totam Beeleam inter Fulcardimontem et nemus Gaufridi, quam pater suus eis ante dederat in elemosinam. Item ex dono ipsius Henrici, comitis Augi, unam

carucatam terre juxta Beeleam. Ex concessione et confirmatione dicti comitis Henrici, donationem quam Gaufridus de Curvervilla eis fecit de mansura Radulfi filii Turstini, cum orto ad eandem mansuram pertinente. Ex dono Walteri de Sancto Martino et concessione Ysabellis uxoris sue et Walteri filii sui, duos modios bladi annuatim in molendino suo Sancti Martini. Ex dono Simonis de Gislemencort, concedente Gaufrido fratre suo, et sororibus suis Berta et Ada, mansuram Willelmi filii Moberti, et sex acras terre et dimidiam pertinentes ad eandem mansuram, et mansuram Roberti Pinchon. Ex dono Elye de Allage, concedente Ysabella uxore sua et Agnete filia sua, totam terram dominici sui de feodo de Arables et de feodo Busci Taket. Ex concessione Walteri de Grandicuria, concedente Henrico filio suo, culturam viginti acrarum de feodo suo apud Touffreescales, et unam acram apud Puiz, et apud Grandicuriam unam acram et dimidiam molturam predictae culture predictarum viginti acrarum, et totam molturam aliarum acrarum apud Puiz et apud Grandicuriam. Ex concessione Roberti Haket de Assigneio, septem acras terre apud Assigneium. Ex dono Ade Duredent, totam terram suam que est super Bellam Fossam. Ex dono Willelmi prepositi Augi, sex solidos Andegavensium ad festum Sancti Remigii et sex capones ad Natale, quos tenebat apud Merlevillam, de feodo de Ferrieres. Ex concessione Michaelis de Wanchi, sicut pater suus prius concessit, quicquid rationabiliter de feodo suo in terra de Freisnei vel a Willelmo de Fresnei vel ab aliis hominibus acquisierunt vel acquirere poterunt, et decimam quam possident in eodem feodo ex dono Reginaldi de Meduana. Ex concessione Ricardi filii comitis Gilleberti, quicquid predicta ecclesia Sancte Marie Sanctique Johannis et monachi ibidem Deo servientes rationabiliter acquisierunt vel acquirere poterunt ad firmam vel ad compartum in feodo Wariniprati vel Fraisnell[orum], de molturis et corveis et alia quacumque consuetudine sua, sicut in carta ejusdem Ricardi filii comitis Gilleberti continetur. Ex dono Wimeri de Marca, mansuram Stephani Anglici apud Archas. Ex dono Willelmi Strabonis, et concessione Agnetis uxoris sue et filiorum suorum Roberti et Ansoldi, decem solidos Andegavensium annuatim in operatorio quod fuit quondam Roberti de Fulcardimonte apud Augum. Ex dono Wermundi Porcmort, campum de Stoket. Ex dono Radulfi de Dragevilla, terram de Rotunda Spina, quam Walterus de Gardino tenebat, et campum Gilleberti Blundi apud Rotundam Spinam, et campum de Corneval. Ex dono Hamelini comitis Warenne, totam molturam septem acrarum terre in supradicta Rotunda Spina. Ex dono Elie de Aulagio, et concessione Isabellis uxoris sue et Agnetis filie sue, et concessione et confirmatione Gaufridi de Quivervilla, totam terram dominii sui de feodo de Erables et de feodo Busci Taket. Ex dono Johannis comitis Augi, totam terram cultam que per divisionem ei remansit apud Campaneisiam Villam, inter forestam et terram quam ipsi monachi de vavassoribus habebant. Et pro ortis quos idem monachi ipsi comiti dederunt apud Fulcardimontem de cultura juxta opidum, terram quam ipse comes dedit eis in elemosinam apud Campeneisiam Villam, secundum quod in carta ipsius comitis continetur. Ex concessione et confirmatione comitisse Ysabellis, uxoris comitis Gilleberti, quicquid comes Ricardus, filius suus, eidem ecclesie concessit, secundum quod in carta ipsius comitisse determinatum est. Ex dono Gaufridi de Augo, concedente Agnete uxore sua, et Luca filio suo et filia ejus Ermengarda, domum Reineri Gusse apud Augum. Ex dono Walteri filii Willelmi filii Nicholai, campum de spina supra abbatiam. Ex dono Walteri de Sancto Remigio, apud Ultrisportum, mansuram unam. Ex dono Roberti de Sancto Petro, apud Augum, in foro ubi ligna ad edificia construenda venduntur, mansuram unam. Ex dono Walteri filii Bernardi, in monte de Gornaio, quatuordecim acras terre. Ex dono Henrici comitis Augi et Walteri de Grandicuria, molturam de Torfreescales. Quare volo et firmiter precipio quod predicta ecclesia Sancte Marie et Sancti Johannis de Fulcardimonte et monachi Cisterciensis ordinis in ea Deo servientes omnia supradicta habeant et teneant in libera et perpetua elemosina, bene et in pace, libere et quiete, integre, plenarie et honorifice, in ecclesiis et decimis et terris et redditibus, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis et piscariis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut carte donatorum testantur.

Testibus : B. Cantuariensi et W. Rothomagensi archiepiscopis, H. Baiocensi, J. Ebroicensi, R. Lexoviensi, W. Constanciensi episcopis, comite Willelmo de Mandevilla, R. comite Legreestrie, et multis aliis, Willelmo de Humetis constabulario, Willelmo Filio Radulfi senescallo Normannie, Seherio de Quinci, Hugone de Creissi, R. de Harrewecort, Alvredo de Sancto Martino, Willelmo de Mara.
Apud Argentomum.